

et es insomnes. E. nimis nummatus est. Falsæ causæ ponuntur pro veris. Sic arbor scientiæ boni & mali, occasio fuit mali, non tamen causa. Sic ovis, apud Æsopum, qvæ in demissiori loco inferius bibebat, ex istâ aquâ defluente à summo, ubi lupus bibebat, non erat causa turbatæ aquæ.

EXEMPLA.

1. *Quod concoctionem promovet, id ventriculo est salubre:*

Frigus hybernum promovet concoctionem: Hippoc. hyeme melius coquitur, & plus appetitur.

E. Frigus est ventriculo salubre.

Resp. Frigus ponitur causa concoctionis, qvæ causa non est: Calor naturalis coquit: frigus saltem calorem intropellit.

2. *Quoscumq; Deus vult beari, illi damnari non possunt:*

Atq;vi Deus vult omnes homines beari:

E. nulli homines damnantur.

Resp. Est *Elenchus falsæ causæ*. Nam Deus voluntate quidem antecedente vult omnes homi-